



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 11. An infidelium Filii Baptizari possunt invitis parentibus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

baptizandi. Si non est certum in monstro esse duas personas, ut quia duo capita, & duo pectora non habet bene distincta; tunc debet primum unus absolute baptizari, & postea alter sub hac conditione: *si non es Baptizatus, ego te Baptizo*, &c. Si vero dubium sit an homo sit an brutum, baptizetur sub conditione: *si tu es homo, ego te*, &c. Monstrum autem, quod humanam speciem nullatenus præ se fert, non debet baptizari. Rituale Roman.

Q. II. *An infidelium Filii Baptizari possunt, invititis parentibus?*

Resp. I. Valide Baptizari posse constat, cum independenter à consensu parentum adesse possint omnia ad valorem Baptismi requisita, nimirum materia, forma, & debita intentio Ministri. Non enim scriptum est. *Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate; sed nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto.* ait S. Aug. Ep. 23.

Resp. II. Filii Hæreticorum & Apostatarum possunt licite Baptizari invititis parentibus: quia parentes per Baptisma fiunt Ecclesie subditi, ideoque cogi possunt ad servandas eius leges, inter quas est lex deferendi in Ecclesiam liberos baptizandos. Ergo iis possunt subtrahi, ut baptizentur, & rebus fidei, cum adoleverint, instruuntur. Non essent tamen subtrahendi, si ideo religio periclitaretur, dum parentes subiecti sunt Principibus infidelibus;

nam debet permitti minus malum, ut vitetur majus.

Resp. III. Infantes mancipiorum possunt & debent ipsis inuitis baptizari, si eorum Domini Christiani sint; quia tales infantes sunt illorum, sicut ipsi parentes: unde Domini habent jus illos subtrahendi parentibus, & de iis tanquam de suis pro arbitrio disponendi; ac proinde possunt curare eos baptizari, & in fide erudiri ac educari; atque ad id saltem ex charitate tenentur.

Resp. IV. Extra certum mortis periculum non licet baptizare infantes infidelium, inuitis parentibus, qui Principibus infidelibus subiecti sunt: quia vel infans subtrahetur parentibus; & nunc fiet illis injuria, cum parentes habeant jus naturale retinendi apud se & educandi liberos nondum rationis compotes, nec propriam voluntatem habentes. Vel illis relinquetur, & tunc Baptismus manifesto periculo profanationis, & Baptizatus periculo Apostasiæ exponetur; cum constet eum in infidelitate educandum.

Si tamen vel sola mater esset Christiana, infans invito patre infideli subiecto Principi Christiano licitè baptizaretur, ex Conc. Tolet. 4. c. 63. nam ipsa habet jus instituendæ prolis, & præerenda est voluntas justæ injustæ in favorem prolis.

Idem quod suprâ dicunt Theologi, cum S. Th. contra Scotistas, etiamsi parentes infideles

deles subiecti sint civiliter Christiano Principi. Quia 1. Ratio allata etiam valet; nam hæc subiectio non adimit parentibus jus educandi & retinendi apud se liberos suos. 2. Potestas secularis non se extendit ad supernaturalia, qualis est susceptio Baptismi. Ecclesia verò nullam habet jurisdictionem in non baptisatos. 3. Ex usu constanti Ecclesiæ, quæ nunquam egit apud Principes etiam religiosissimos, ut cogerent infideles sibi subiectos ad Baptismum suscipiendum, aut curarent omnes infantes subditos baptizari, ut notat. S. Thomas.

Dixi, *infantes*, nam baptizandi sunt pueri rationis compotes, qui hoc petunt, cum sint sui juris in negotio salutis. Sed tunc debent egredi è domo paterna, si aliter Christianè vivere nequeant.

Resp. V. In evidenti periculo mortis, infantes infidelium baptizari debent, etiam invitis parentibus; quia tunc nec auferuntur parentibus, nec Baptismus profanationi exponitur; & aliundè urget præceptum charitatis. Sed id fiat, si potest, insciis parentibus, ad vitandam perturbationem. Idem extendit Layman ad filios infidelium perpetuò amentes ob eandem rationem.

Sed quid si infans reipsâ baptizatus sit invitis vel insciis parentibus, & postea adolescat?

Resp. Secluso periculo Religionis Christianæ, &

Q 5

na, &

næ, & scandali, abstrahendus est à parentibus, ut erudiatur in fide Christiana: quia per Baptismum Ecclesia acquisivit jurisdictionem in eum, ac jus ad eum christianè instituendum, & ipse contraxit obligationem addiscendæ & servandæ legis Christianæ, quod præstare nequit apud parentes.

Dixi, *secluso*, &c. quia bonum Religionis & multorum præferri debet bono privato.

Q. 12. Quinam sunt effectus Baptismi

Resp. Hi 1. Tollit omnem culpam & poenam, si non adsit obex. 2. Conferat ex opere operato gratiam sanctificantem, & virtutes infusas. 3. Ejus intuitu conferuntur suo tempore gratiæ actuales fini suo accomodatæ, nimirum ad sanctè & christianè vivendum, ut decet Filios Dei hæredes & cohæredes Christi. 4. Imprimat caracterem indelebilem. 5. Constituit membrum Ecclesiæ, ejusque potestati subjicit. 6. Tribuit capacitatem recipiendi alia Sacramenta, & jus ad illa, cæteraque Ecclesiæ bona communia. 7. Inducit obligationem servandi mandata Dei & Ecclesiæ, atque vitam Christianam seu consentaneam doctrinæ & exemplo Christi traducendi.

Q. 13. Quenam dispositiones requiruntur in Adultis ad recipiendam gratiam Baptismi?

Resp. I. Si Adultus præter peccatum Originale